





*Sammlung*





35 36  
ΓΕΝΕΘΛΙΑΚΟΝ

GENEROSIS-  
SIMO AC NOBILISSIMO

DOMINO, DN. FRIEDERICO CHRIS-  
TOPHORO, COMITI AC DOMINO IN  
MANSFELDT, ET NOBILI DOMINO  
in Heldringen, Seeburgk & Schraplau, cum  
ei felici partu filioli gemelli nasceren-  
tur Anno 1615.

XV. Calend. : Novembris.

Ex voto debitoq; piæ atq; subjectæ gratula-  
tionis testificandæ studio  
Scriptum.

a  
PHILIPPO CRVSIO, Prælustris Gymnasij Patrij  
quod est Jslebij Alumno.

ISLEBII,  
Imprimebat IACOBUS GUBISIUS,

ANNO 1615.



**E**Rgo dies optata venis, votisq; petita,  
Multis, quam rutili Phœbus ab axe vehit.  
Nunc iuvat atq; decet cunctas deponere curas,  
Lætaq; dulcisonis jungere plectra choris.  
Lux hodierna jubet voces attollere, vultu &  
Gaudia testari lux hodierna jubet.  
Lux hodierna jubet tenebrosam demere nubem,  
Fronte, & læticiæ prodere signa novæ.  
Quisquis adest dulci permulceat æthera cantu,  
Et præsens omni sit sine nube dies.  
Pars habili impellat nervos testudinis ungue,  
Et Citharam volucris pollice pars moveat.  
Pars abigat curas stimulis ceu corda terentes,  
Harmonicum s'vavi voce canendo melos.  
O quam læta dies Pario signanda lapillo,  
Immemori versu & concelebranda mihi.  
Quæ faciam meritæ præconia debita laudis?  
Qualibus hanc potero vel celebrare modis?  
Vos voco Pierides Musæ, & tu dulcis Apollo,  
Dum canto vires suppeditate mihi.  
Suppeditate mihi vires, intendite nervos  
Omnes, ut venâ prosperiore canam.  
Tu Sol, qui radijs lustras opera omnia mundi,  
Tuq; repentino Cynthia plena globo:

Dicite,



Dicite, num cœlo Lux lætior extitit alto,  
Dum centum autumnos Plejas orta facit;  
Qua Mansfelda domus sit claris aucta gemellis,  
Partu uno Fratrum ut sit Comitissa parens.  
Nimirum hosce parit fructus non debilis arbor  
Conjugij, sunt hæc pignora lecta thori:  
Hisq; frui tantum licitum est, ad eosq; redundant,  
Qui *Dominum*, casto cordis amore timent.  
Quiq; Deum penito de corde medullitus ardent  
Felici illorum est prole repleta domus.  
Illustrat mater nam fertilitate, sed uxor  
Obfuscat sterilis debilitate genus.  
Ac licet in fœdâ culpâ tristiq; reatu  
Per lapsum attracto nascitur omnis homo;  
Nos tamen ab omni peccato & crimine labis  
Emundat Christus sanguine coccineo.  
Huic volupe est pueros ulnis comprehendere, Regni &  
Æternum hæredes hos cupit esse sui.  
Ergo Christe meis te æqualem Numine & ævo  
Consortemq; Patri sollicito precibus;  
Hos pueros-Comites purgatos sanguinis imbre  
Sancto, ulnis foveas suscipiasq; tuis.  
Inde alij atq; aliæ nates ordine longo  
Matri mille ferant gaudia mille Patri.  
Nec, Mansfeldiacum qui in millia secla, nepotes  
Desint, illustrent facta per ampla genus.

Sinceri



Sinceri & maneat in religione parentum,  
 Artibus ac præsint cum pietate bonis.  
 Sic MANNI, langvet quæ jam stirps inclita, celsum  
 Eriget, erumpens undiq; prole caput:  
 Haut palmæ absimilis viridi, quæ surgit in arcum,  
 Quamq; magis premitur tam mage tollit onus.  
 Crescite sic pueri-Comites ætate, subindè  
 Ætati accedant omnia dona animi.  
 Vivite, apud *Dominum* vestrà sed sorte repostâ  
 Patre diu salvo sospite Matre diu.  
 Vivite felices duce Christo & auspice Christo;  
 Vivite, suppeditet facta benigna DEUS:  
 Vivite, & ut placidæ contingat vivere vitæ  
 Tempora, nec noceant ulla pericla precor,  
 Hoc voveo, hoc opto. Christus mea vota secundet,  
 Hic reddat votis uberiora meis.

NOV 15 1720

*Ter senos soLes oCtober habebat, In ortV  
 Bina proLe Vno stIrps MannICA CresCere CapIt.*





99 A 6908

ULB Halle 3  
002 927 25X



Handwritten initials: JB

Retro 1


VD 17











36

AKON

OSIS  
ILISSIMO

DERICO CHRIS-  
DOMINO IN  
BILI DOMINO  
e Schraplau, cum  
elli nasceren-  
5.  
vembris.

subjectæ gratula-  
studio

ustris Gymnasij Patrij  
umno.

GUBISIUS,